



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

XV. Jac. Sadol. Episc. Carpent. Ioan. Lothoringio S.R.E. Cardinali S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

XV.

IAC. SADOL. EPISC. CARPENT.

Ioan. Lothoringio S. R. E. Cardinali. S. P. D.

IN meo à vobis digressu, nescio quo pacto imago omnium vestrum, summiq; imprimis Regis, atque tua nō solum me discedentem prosecuta est, sed vsque adhuc in animo meo permansit ac, vt se habet res, etiam permanens videretur. Habet enim illa in me familiare sibi iam domicilium. Quod profectò euenit magnitudine quadam amoris, quo erga vos incensus sum. Iam dudum hoc quidem: etenim sat diu est, quòd mea & studia, & officia ad vtrunq; vestrum colendum contuli. Sed mea hæc voluntas etiam confirmatior facta est, posteaquam ego sum cum ambobus vobis collocutus. Quo in congressu non tam potestas & amplitudo vestra, quæ quamquam permagna est, alios tamen & habuit pares aliquando, & habitura est: quam humanitas quæ illi amplitudini maximo est ornamento, & in qua vos singulares esse contenditis, fecit, vt vos ego præcipue & colam & admirem. Itaque nil mirum, si vobis & amore, & obseruantia sum addictus: quorum alterum virtuti vestre iure ac merito debetur, alterum potestati. Sed ego hæc cogitans, cum animi mei studium & beniuolentiam vobis declarare cuperem, vel potius ab amore ipso cogerer: ad Regem quidem non sum ausus, neque sane conueniebat: ad te vero, cuius mihi comitas magis est in promptu, has dedi literas: nihil aliud postulans, nisi te illis interpretibus, quando coram non licet, & salutare, & venerari, & tibi memetipsum in memoriam redigere: petereque à te, vt me in numero tuorum habere pergas. Hoc cum mihi optatissimum esset, tum virtutis proprium, & humanitatis, & nobilitatis imprimis tuæ. Vale. Carpentoracti, V. Idus Iulij, M. D. XXXIII.

XVI.

IACOB. SADOLET. EPISC. CARPENT.

Ioan. Lothoringio Cardinali, S. P. D.

ET si cæ sunt curæ & occupationes tuæ in hoc tempore vt magis tu votis precibusque nostris apud Deum adiuuandus, quam literis interpellandus esse videaris: propterea quòd hæc de pace actio, præclaraque tractatio, tota tuæ fidei diligentique permilla, in alias cogitationes minimè deriuanda est. Tamen cum venires mihi in mentem, te eum esse, qui summam nobilitatem tuam, quam à maioribus accepisti, virtute etiam & huma-